

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, distinctio 3, circa 4, quaestio 2. (fol. 8ra)

Utrum angelus cognoscat res mundanas per species acquisitas vel innatas?

Secundo quaeritur, utrum angelus cognoscat res mundanas per species acquisitas [vel innatas]²? Et videtur quod³ [per innatas],⁴ quia dicitur in *Libro de causis*,⁵ quod omnis intelligentia est plena formis. Sed quod est plenum, non potest plus recipere. Ergo, si cognoscit et non potest plus recipere, habet innatas.

Item, si angelus posset recipere, iam haberet sensum, quod falsum est. Ergo, oportet quod habeat [illa species]⁶ ex quo non potest recipere.

Item, Augustinus, *XI De civitate*,⁷ dicit, quod angelus simul fuit creatus et illuminatur. Sed talis illuminatio fuit rerum scientia, ergo non fuit sine speciebus.

Contra, cognitio rerum in proprio genere est cognitio praeexistentis, *IV Super Genesim*.⁸ Sed cognitio innata non est praeexistentiae rei, quia talis non requirit rem praeexistere, et per consequens non certitudinaliter scire utrum res sit vel non sit, quod non competit angelo.

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 3, c. 4, q. 2, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Add. in marg.

³ Scripsit sed del. *sic*

⁴ Add in marg.

⁵ *Libro de causis* cap. 9.

⁶ Add. in marg.

⁷ Augustinus, *De civitate Dei* lib. 11, cap. 11.(?)

⁸ Augustinus, *De Genesi ad litteram libri duodecim* lib. 4, cap. 21–23.

Respondeo, dicendum, quod in ista quaestione est magna silva opinionum. Nam quidam dicunt, quod angelus cognoscit per innatas, et non potest aliquid cognoscere aliter. Alii dicunt, quod cognoscunt per innatas, sed potest cognoscere per acquisitas, si vellet recipere, non tamen sic cognoscit. Alii dicunt, quod quaedam per innatas, quaedam per acquisitas. Alii dicunt, quod omnia individua per acquisitas et alia per innatas. Alii dicunt, quod nec sic nec sic, sed per species a se factas.

Sed propter prolixitatem omnibus praetermissis aliis referam vobis unam. Supponunt enim isti, quod intellectus est potentia activa, quae habet elicere propriam actionem, quae actio vel actus nullo modo debet dici esse receptum in potentia antequam ab ipsa eliciatur, constat quod non potest prius esse quam fiat. Illum actum dicunt esse speciem per quam intellectus conformatur obiecto, ut fuit superius dictum. Et hoc est intentio Augustinus, *VI Musicae*⁹ et *XII Super Genesim*.¹⁰ Moventur etiam quibusdam rationibus ad hoc ponendum, quia constat daemones puniuntur saltem post iudicium igne materiali. Sed si non apprehenderent illum, non posset esse, quia cum species innata indifferenter se habeat nunc, et item ita fuissent afflicti in prima instanti sicut tunc erunt, nisi diceretur quod fieret tunc alia transmutatio in speciebus angelorum, quod absurdum est.

Item, Dionysius vult, quod de novo angeli medii multa discunt a suis superioribus, quod esset impossibile nisi reciperent.

Item, *IV Super Genesim*,¹¹ dicit Augustinus, quod daemones permittuntur quaedam de temporibus noscere, partim subtilioris sensus actione, partim experientiam callidior, propter tam magnam longitudinem vitae, et partim a sanctis angelis discunt eius iussu. Et idem dicit *IV De trinitate*.¹²

Item, *XII Super Genesim*,¹³ quod angeli noverunt cogitationes nostras, non oculis, quia non corpore sed spiritu vident.

Item, *De cura pro mortuis*, dicit, quod 4 modis possunt existentes in inferno scire ea quae hic fuit. Et est unus modus, quod potest venire ad nos permissus a Deo, et post ea nuntiare eis quae hic vidit. Haec omnia probant, quod angeli et animae possunt recipere.

Ad primum, dicendum, quod de illa auctoritate non est curandum, quia cum [quidam]¹⁴ philosophi posuerint mundum aeternum, habuerunt pro impossibili, quod aliquid esset aeternum ex parte post

⁹ Augustinus, *De musica* cap. 6.

¹⁰ Augustinus, *De Genesi ad litteram libri duodecim* lib. 12.

¹¹ Augustinus, *De Genesi ad litteram libri duodecim* lib. 2, cap. 17.

¹² Augustinus, *De trinitate* lib. 4.

¹³ Augustinus, *De Genesi ad litteram libri duodecim* lib. 12, cap. 22.

¹⁴ Add. in marg.

nisi esset ex parte ante. Et per consequens sequitur, quod intelligentias non posse scientiam acquirere de novo, sed aeternaliter totam scientiam habuisse.

Ad secundum, dicendum, quod angelus non habet sensum, nec eas recipit, sed potius per intellectum illas species facit, ut dixi, sicut agens actum proprium.

Ad tertium, dicendum, quod Augustinus dicit hoc propter actualitatem intellectus, sive quia statim potuit exire in actum cognitionis, non tamen omnium, sed eorum, quae tunc sibi erant praesentia.